44


PROGRAMMA
QVO
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
BERNHARDUS
Barnstorff/
Med. D. Prof. P. & Poliater
AD
VIGILIAS
CIRCA IPSUM NATALEM
DOMINI
SALVATORIS NOSTRI
JESU
CHRISTI
justè pièq; celebrandas
Omnes Omninô Cives Academicos, eâ quâ fas est humanitate, blandè invitat.



Rostochii, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.



Iqvô tempore præter diurnas meditationes fidei etiam vigiliis nocturnisqve sacris pietatem exercere aut necessarium aut præ cæteris utile arbitramur, hôc sanè omnis lætitiæ festo, qvod iterum nobis illuxit, idem præcipuè svadendum esse non sine causa videtur. Quænam enim nox unqvam illustrior fuit, aut esse potuit, qvâm qvâ exercitus ipse Angelorum cœlestis magnâ sui luce hominibus præsentiæ suæ significationem fecit sane illustrissimam? Exorta jam est ex cœlô lux omnis gratiæ, ne amplius esset, qvod ex cœlô metuendum, sed ut erectô iterum capite sursum prospiciamus ad thronum omnis misericordiæ divinæ. In ipsâ nocte Dominus nasci voluit, ut significaret, nihil lucis, nihil boni penes homines jam post lapsum esse relictum, sed se unicum esse, qui noctis tenebras discutere & vellet & deberet & posset. Qvis non invigilaret jam rebus fidei suæ omni animæ propensione? Qvis non noctis etiam aliqvã partem conjungeret atqve tribueret illis laudibus, qvæ in gloriam DEI unà cum Angelis sunt dicendæ? Disciplinam veterum si apud animum repetimus, non sine admiratione tot ipsorum antelucanos cœtus, tot vigilias, qvibus res sacras administrarunt, deprehendemus atqve notabimus. Non preces, non sacra, qvæ per dies statos fiebant, ita placebant, sicut illa omnia, qvæ noctis vices sibi in religione Christianâ dividebant aut occupabant. Neqve illæ religionis partes, qvas sibi aliàs aut omnis hebdomas per diem, aut Sabbatum aut dies dominicus vindicabat, in eô honore habebantur, qvô sacra vigiliarum. Eqvidem si persecutiones, qvibus miserrimè affligebantur initiò Christiani, ad animum, eâ qvâ fas est recordatione, paulò altius mittimus, in tantâ Ethnicorum rabie neqve locus nisi privatus, neqve tem-



tempus nisi nocturnum, qvamvis & id ægre qvidem, ipsorum conventibus concedebatur. Testimonium hujus rei afferant præter prudentem cujusqve hominis conjecturam & Tertullianus & Plinius homo aliàs gentilis ad Imperatorem Trajanum. Remansit hæc vigiliarum cura apud Ecclesiam, etiam cum halcyonia ubiqve essent data. Major scilicet qvemadmodum fidei cura persecutionis tempore Christianorum animum admodum sollicitum habebat, ita in subseqventem etiam hominum ætatem, ubi jam Tyrannorum furor deferbuisset, paria adhuc videbatur sui studia transtulisse. Inde sacris vacabant non tantum per dierum sacrorum spatium, sed noctis etiam excubias agebant in precibus, in lectione, in meditationibus animô qvàm cupidissimô. Effecit deinde æmulatio illa, qvâ Orthodoxi Arianis Constantinopoli cedere nolebant, ut excubiis etiam precum in Ecclesiâ svetis peculiares Psalmi atqve hymni in laudem Salvatoris nostri contra Arianos adjicerentur, sicut fidem hujus rei facit Sozomenus l. 8. c. 8. Et licet in magnâ illâ sive Paschali hebdomade potissimam videantur Christiani olim vigiliarum suarum rationem habuisse, ut preces inde lucernariæ, & Psalmi lucernares ipsumqve officium lucernarium nomen suum in latinitate sanè novitium juxta Baronium acceperint, id tamen relinqvitur præsenti festo, nullam noctis majorem sive venerationem sive lucem fuisse, qvàm qvâ ipse Filius DEI assumptâ carne in mundum venit. Hæc nox præ aliis vocatur sacrata & adhuc germanice Weihnachten: Hujus etiam feriæ non sine religione qvâdam imperantur juxta Telesphorum Papam c. 48. de Consecr. dist. 1. *Nocte sanctâ Nativitatis DOMINI Salvatoris missas celebrent Presbyteri & hymnum Angelicum in illis solemniter decantent, quoniam & eâdem nocte ab Angelô Pastoribus nunciatus est.* Cumqve reliqvæ vigiliæ sive ex remissiore hominum pietate, sive ex prudentiâ qvâdam, ne peccandi malis esset major licentia, sensim intermitterentur, aut tollerentur, hujus tamen festi vigiliæ omnium diutissi-

mæ in Ecclesiâ obtinuerunt, & adhuc hodiè qvibusdam in locis apud Pontificios obtinent. Neqve sanè aliter, si rem ex virtute suâ metimur, omnibus agere omninò convenit. Qvantis lætitiæ signis Cives non undiqve excipiunt diem aut noctem natalem Principis sui? Qvantum collustrant noctis illius tenebras, cereis, facibus, atq; lampadibus undiqve accensis? Qvàm occupati sunt in vigiliis, ne vel quicqvâm officii sui desiderari posse existimaretur? At verò qvid Principis mundi, nisi mortales nobiscum homines? Verùm jam Principem Cœli, æternum illum omnium rerum DOMINUM Hominem qvondam per noctem factum esse sicut piè credimus, ita religiosissimè etiam hoc cumprimis tempore idem recordari qvàm æqvissimum est. Si ingenii vim in pietate occupare placet, si Sapientiæ amore qvodam ducimur, si animum non vanâ lætitiâ perfundere gaudemus, en hîc mysterium pietatis magnum! en infinitam gloriæ abyssum! en verum omnis lætitiæ fontem! DEUS HOMO factus est, & Homo DEUS! Qvid magis captum humanum infinitis modis excedere posset? Qvæ per omnem suam naturam à se quàm longissimè h.e. in infinitum usq; disjunguntur, ea accessione mirabili in unum aliquod sibi conjunctissimum, personam nempe unam, concurrunt. Qvi, cum peccatum intervenisset tanquam vinculum sceleratè dissolvens, ita à se invicem recesserant, ut inimicitia utrinque esset posita, illorum natura etiam mutuum societatis vinculum jam in se recepit. Tam benignissimus Deus est, ut miseriæ nostræ, quæ non satis cogitari, nedum exprimi potest, misertus, ipse naturæ nostræ particeps fieri voluerit. Ipse â quo sunt omnia, etiam gratiæ omnis initium erga nos facere debuit, dum inutiles nos planè facti eramus & contrarii ad omnia. FILIUS ergò DEI, ut nos adoptaremur iterum filii, hominis etiam filius ita salutari voluit, ut verè qvoq; talis esset. Non assumsit aliqvam modô speciem hominis, sed ipsam Carnem, ipsum sanguinem, nobis per omnia similis factus Hebr. II. 14. 17. Neque ita assumsit, ut modò sustentaret

rem

rem illam in suâ personâ, vel conservaret in statu unionis, in quô est, sed dum idem ille, qui Homo factus, Deus etiam verê appellatur Rom. IX. 5. Luc. 1. 35., manifestum est, eandem personam, quæ divina est, æqualiter jam competere humanæ naturæ, ut pariter & illa sit jam de essentia personæ FILII DEI per assumtionis gratiam ipsi communicatæ. Cumqve natura divina τ̃ λόγε non sit diversum aliqvid ab ejus personâ, neque minus ipse DEUS in carne manifestatus esse dicatur Joh. 1. 14. 1. Tim. III. 16, intelligimus inde satis, & ipsam naturam CHRISTI divinam verê & immediatê esse humanæ conjunctam. Adeô verum est, DEUM esse Hominem, & Hominem esse DEUM! ille Homo factus est in Spiritum æternæ vitæ, sicut Adamus verè in Spiritum viventem 1. Cor. XV. 45. Ita omnium, qui ex veritate sunt, confessione jam apertissimè constat, quis sit verus ille *Messias* Salvator omnium. Dum enim DEUS ipse in carne apparuit, ita justus declaratus est in Spiritu 1. Tim. III. 16, ut in virtute operum, quæ tunc ipse edidit, testimonium Spiritûs de se per prophetas testantis & habuerit & confirmaverit. Justum ergô h. e. verum & genuinum Messiam hominibus jamdudum natum esse, evincunt illa dicta satis firmiter per universam scripturam, quæ JESUM nostrum unum eundemq; & DEUM & Hominem esse prædicant. Jam judicent omnes, annon res hæc, annon gratia illa, quæ nobis contigit, die nocteque considerari quâm maximè mereatur? Ipsi Angeli, quibus tamen inde nihil commodi, in hoc Evangelii mysteriũ velut inclinatô capite introspicere gestiunt 1. Petr. 1. v. 12. Quantô majori hic sollicitudine, quâm propensiori animi voluntate non nos esse oportet? Annon beati collaudantur, qui neque nocte legis curam attentionemque intermittunt Psal. 1. 2.? Evigilemus ergò etiam ad illas jam pietatis vigilias, qvibus FILIUM DEI tanquam fratrem & Consanguineum nostrum compellare licet? Non noctis amplius horrores metuendi, non ludibria spectrorum, non mali ullius periculum. Lucem jam accendit in mediis tenebris gratia DEI, quæ omnibus est salutaris. Epiphania nunc

est

est sive Theophania perpetua, postquam ipsa lux apparuit hominibus, DEUS scil. jam ipse in carne nostrâ manifestatus. Litigent eruditi adhuc de festo Epiphaniorum, unde nomen acceperit, à stellâne, quæ Magis apparuit, an â baptismo CHRISTI, an verò â natali CHRISTI ejusq; aliis miraculis? Innotuerit etiam festum hoc post tria ferè demum secula, ita ut nec quarto, communi omnium consensu, satis constiterit, quo die feriæ ejus sint peragendæ, aliis mensem Augustum, aliis sextum Januarii definientibus in Ægypto potissimum atque omni oriente, aliis verô in occidente præcipuè sub Julio I. papâ pro d. XXV. Decembris pugnantibus! Nobis tamen illa veritas semper relinquitur certissima atque immota, quâ DEI epiphaniam ad omnem salutem generis humani in carne nostrâ humanâ factam esse credimus, confitemur & lætamur. Atqve nomen utique Epiphaniis fecit non stella Magorum, sed dies natalis ipsa DOMINI nostri JESU CHRISTI, testibus Nazianzeno, Epiphanio, & Isidoro Pelusiotâ. Recesserunt quidem ab hac vocis origine occidentales, transferentes eam sive in baptismum CHRISTI sive in stellam Magorum sive in alia CHRISTI miracula, id tamen vel eô consilio fecisse intelliguntur, ut qvæ semel placuerat sententia de Natali CHRISTI d. 25. Decembr. celebranda, non tâm facilê iterum desereretur, distinctis sic natalitiis CHRISTI ab Epiphaniis. Armenii interim, Græcis licet paulò post cum Romanâ Ecclesia consentientibus, consuetudinis suæ omnium tenacissimi fuerunt, neq; seculo XII alio die quàm sexto Januarii ferias hasce adhuc observantes. Nobis jam sufficiat, nosse ita natalē DOMINI, ut licet dies ille quis fuerit, ignoretur, ex omni tn. nobis animo gratulemur, ipsum FILIUM DEI in societatem carnis humanæ nobiscum venisse, ne calamitas nostra nos planè à facie DEI averteret. Hujus rei causâ non vigilias, non ullas temporis partes jam prætermittamus, quibus ad hanc divinæ gratiæ agnitionem in nobis aliquam accessionem fieri posse existimamus. Non ergô committamus, *Cives optimi*, ut planè

in

in omnibus, quæ ad religionem spectant, segniores esse videamur, rerum sic nostrarum circa salutem admodum securi. Surgamus tandem ex tàm pernicioso ignaviæ veterno. Concremari se potius patiebantur veteres Christiani in templo Nicomediæ, quâm ut curam religionis in die etiam natali DOMINI aut postponerent, aut deliciis suis corrumperent, sicut Diocletiani tempore idem accidisse ex Nicephoro intelligimus. Utinam & nos majori pietatis studio arderemus, quâm vulgô fieri videmus! In eam gloriam genus nostrum est translatum, in eam auctoritatem, ut si vel toti in admirationem omnem perpetuò effusi essemus, non tamen nisi primis, qvod ajunt, labris rem attingere daretur. Videmus Carnem nostram in ipsâ personâ FILII DEI, quam omnes etiam Angeli adorare tenentur. Habemus talem Creatorem, qui ut Homo etiam ipse nobis creaturis suis jam benignissimê prospicit. Contigit nobis ille Salvator, ille Advocatus, ille judex, qui ut in omnes partes essemus bono animô, similitudinem carnis nostræ æqvali prorsus nobiscum ratione ipse secum in suâ hypostasi circumfert. Hanc, qvæ in nos ipsos redundat, excellentiam, hanc prærogativam licet non satis animo complecti aut æstimare liceat, ita tamen proponere oportet, ut subinde in majorem gloriæ lucem transeamus. Jam penes vos ipsos esto judicium, *Cives optimi*, annon in vigiliis etiam nocturnis occupari nunc qvàm maximè fas esset, ut sic vel aliqvantulum Angelorum studium imitaremur, qvi gloriam in excelsis DEO sub ipsum hujus festi ortum per noctem illustrem lætâ voce in cœlum usqve extulerunt. Eqvidem facilè largior, rem liberam esse pietatem, qvæ neqve temporis certi neqve loci rationem ita habere debet, ut inde suspendatur: Amor tamen DEI & Cura salutis nostræ id à nobis postulant, ut pietas, quæ aliâs est omnis temporis omnisqve loci, magis accendatur illis temporibus, qvæ memoriam rerum circa salutem nostram gestarum præ aliis afferunt, atqve renovare debent. Inducamus ergò animum

mum pietatis eo fortiùs jam, quò majori lætitiâ cœlum propter nostram salutem resonuisse qvondam novimus. Aut annon solis Angelis illas officii partes convenire putamus, ut, nobis ita securè viventibus, per noctem etiam laudes Dei enuncient? Euge conferamus & nostras voces, atqve animum ad illud studium, ut gloria DEI jam inter Christianos die nocteqve continenter audiatur. Et qvemadmodum plures dies hisce feriis destinavit nostra consvetudo, qvàm veterum, quippe qui uno modò die ita feriabantur, reliquis succedentibus memoriæ Martyris Stephani, Johannis Evangelistæ, & infantium ab Herode occisorum consecratis: ita id operæ etiam demus enixiùs, ne in pietatis partibus inferiores unqvam esse videamur antiquis tàm religiosis. Stimulum in animis nostris figat atq; relinqvat illud Pauli Tit. II. 11. seqq. *Illuxit gratia illa DEI salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, sapienter & juste & piè vivamus in præsenti seculo, expectantes beatam illam spem & illustrem illum adventum gloriæ magni illius Dei ac Servatoris nostri* JESU CHRISTI, *qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniqvitate atq; expurgaret sibi ipsi populum peculiarem, studiosum bonorum operum.*

Valete!

P. P. Sub Sigillo Rectoratus d. xxv. Decembr. A. 1696.

